

Judæos potest, certè minimè ad veteres, qui sicuti cum Abrahamo, patre credentium gavisi sunt, diem Christi videre, ita promissa illa divina de vitæ æternæ præmio, sibi omnibusque credentibus in Christum conferendo, longè rectiùs intellexerunt, quàm isti Sadducæi, cœci ipsi & cœcorum duces, demumque post reditum è captivitate Babylonica exorti. Exiguam itaque Sadducæorum jam olim quoque auctoritatem fuisse, nedum hodierno tempore, cum Smalcius ex aliis didicerit, & infirmam admodum sequelam ab unicâ illâ sectâ, eademque ignobili ad Judæos in universum fieri, ipse deprehendat, aliò eodemque robustiori, uti putat, Socini causam muniri fulcro posse statuit, si ad hodiernos Judæos totum negotium devolvatur. De his itaque indiscriminatim fat audacter, ceu supra retuli, affirmat, *quòd fateantur, nullum vitæ æternæ apertum extare in ipsorum lege, sive in fœdere, quod Deus cum eis per Moysen pepigit, promissum.* Ast nec hoc patrociniò mala Photinianorum causa evadet melior. Posito enim, sed nunquam concessio, Judæos hodiernos in universum omnes fateri, nullum expressum vitæ æternæ promissum in Mosaico fœdere sive libris Mosaicis extare, anne propter illam hodiernorum Judæorum adsertionem nec tale extat? anne propter eandem nec veteres Judæi tale extare crediderunt, vel viderunt? quanta enim divinarum rerum ignorantia apud Judæos à multis retro annis fuerit, justò judicio lucis cœlestis contemptum vindicante ita Deo Maximo, notius est, quàm ut demonstrari hoc loco debeat. Et ludit insuper Smalcius in voce *expressum*, quâ si tale intelligit promissum, quod $\chi\epsilon\iota\ \tau\epsilon\ \rho\eta\tau\omicron\nu\varsigma$, & his ipsis terminis sive dictionibus vitam æternam polliceatur, neminem sibi è nostratibus habet contradicentem, nec habet, cur tantâ acerbitate in nos invehatur; si verò phrasi illa hoc intellecti vult, uti omninò id ipsum velle videtur, quòd nullum in
vete-